



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 1. Quænam est materia Sacramenti Confirmationis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

De Sacramento Confirm. Cap. I. 113  
sanctus , solis Apostolis & eorum Vicariis  
servabatur.

## C A P U T I I .

### De Materia , forma & Ministro Confirmationis.

Quest. I. Q UÆNAM est materia Sacra-  
menti Confirmationis ?

Resp. In hoc Sacramento sicut & in aliis,  
duplex distinguitur materia ; proxima , & re-  
mota : Materia remota hujus Sacramenti , s. Carol. Act  
ut ait Divus Carolus , est Chrisma , quod ex p. 4. De Sa-  
oleo & balsamo , solemni Episcopi consecratio- cram. Confir.  
ne conficitur.

Rationem affert Divus Thomas cùm dicit :

Chrisma est conveniens materia hujus Sacra- D. Th. 3. p.  
menti. Sicut enim dictum est , in hoc Sacra- q. 72. art. 2.  
mento datur plenitudo Spiritus-sancti ad ro- in corp,  
bur spirituale , quod competit perfecta etati ;  
homo autem cùm ad perfectam etatem per-  
venerit , incipit jam communicare actiones  
suas ad alios ; antea verò quasi singulariter  
sibi ipsi vivit : gratia verò spiritus sancti in  
oleo designatur , unde Christus dicitur esse  
unctus oleo latitia propter plenitudinem Spi-  
ritus-sancti quam habuit ; & ideo oleum com-  
petit materia hujus Sacramenti. Admisetur  
autem balsamum propter fragrantiam odoris  
qua redundat ad alios. Vnde Apostolus dicit  
2. ad Corinth. cap. 2. Christi bonus odor su-  
mus Deo , &c. Et licet multa alia sint odori-  
fera , tamen præcipue accipitur balsamum ,  
propter hoc quod habet præcipuum odorem , &  
quia etiam incorruptionem prestat. Vnde Ec-

## 114 TRACTATUS III.

*c*i*. 24. dicitur. Quasi balatum non mixtum  
odor meus.*

Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio quam facit Episcopus cum Chrismate in modum Crucis super frontem Confirmandi, & impositio manuum.

*Quest. 2. Quænam est forma Sacramenti Confirmationis?*

Pontificale  
Rom.

*Resp. Forma hujus Sacramenti consistit in verbis quæ profert Episcopus, cùm applicat unctionem Chrismatis nempe, Signo te signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.*

Advertendum tamen est, nos hīc loqui de materia & forma Confirmationis juxta communiter receptam Theologorum & Canonistarum sententiam; non tamen improbamus sententiam aliquorum Theologorum, qui assertunt, materiam & formam à nobis allatas esse tantum accidentales, non vero essentiales huic Sacramento, cuius materia & forma essentiales apud ipsos, sunt impositio manuum Episcopi & oratio quæ additur huic manuum impositioni.

*Quæ Doctrina videtur esse conformis Scripturæ sacræ & traditioni. Dicitur enim Act. 8. Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum-sanctum: tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum-sanctum.*

Tertullianus libro de Baptismo cap. 8. ait. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum-sanctum. S. Cyprianus Epist. 73. Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Prepositis Ecclesia offerantur & per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum-sanctum consequantur. S. Hieron. Dial. ad-